



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

Valiero, Agostino

Coloniae, 1582

De figuris, quæ in vehementi dicendi genere adhibendæ sunt, ac primùm
quomodò orator monere & obsecrare debeat auditores. Cap. XXXIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69050)

De figuris, quæ in vehementi dicendi genere
adhibendæ sunt, ac primùm quomodò ora-
tor monere & obsecrare debeat auditores.

Cap. XXXIII.

AFFERAMVS in medium etiam exempla for-
marum, quæ in vehementi atque incenso dicen-
di genere adhiberi possunt, vt clerici, cum in hoc genere
versabuntur, habeant quæ imitentur. Ac primum mo-
nendi exemplum est illud Apostoli: Fratres, nolite pueri
effici sensibus, sed malitia paruuli estote. & illud: Non vt
confundam vos, hac dico, sed vt filios charissimos moneo;
nam etsi decem millia pedagogorum habeatis, sed non
multos patres. Sanctus Leo Pontifex hac dicendi forma
vtitur in quodam sermone, his verbis: Agnosce, ô Chri-
stianè, dignitatem tuam, et diuina consors factus natura,
noli in veterem vilitatem degeneri conuersatione redi-
re: memento, cuius capitis et cuius corporis sis membrum:
remiscere, quòd eruis de potestate tenebrarū, trans-
latus es in Dei lumem & signum. Ità Ecclesiasticus ora-
tor, vbi euangelij partem aut epistola explicauerit, mo-
nebit auditores; se eorum peccata cōmemorasse, vt cum
illis communem calamitatem lugeret; vt illa commemo-
ratio, ille luctus interior, pœnitentiã salutarem pareret.
Obsecrantis personam sumpsit Apostolus, cum scribēs ad
Ephesios, dixit: Obsecro vos ego vinctus in Domino, vt di-
gnè ambuletis vocatione, in qua vocati estis. Ad cuius lo-
ci imitationem orator Ecclesiasticus, postquàm docuerit,
quid Christianis agendum sit, ità obsecrantis personam
induat: Obsecro vos, charissimi filij, quos Dominus noster
Iesus

Iesus Christus mea fidei credidit, quos vita chariores habeo, quibus iter veræ beatitudinis ostendere in primis studeo; obsecro, inquam, vos, ut vobis ipsi attendatis, cogitetis qui sitis, sub cuius vexillo militetis.

Qua ratione execrantis & contemnentis personam induere possit orator.

Cap. XXXIIII.

EXECRATUR Cyprianus fidei desertores, cum ait: Pereant, qui perire voluerunt, extra Ecclesiam soli remaneant, qui ab Ecclesia recesserunt; soli cum Episcopis non sint, qui contra episcopos rebellaverunt, coniurationis suæ pœnas subeant. Qua forma dicendi raro videtur Ecclesiasticus orator; poterit tamen uti interdum, inuehens in publicos vsurarios, aut adulteros; verbi causa, post longum sermonem, ita execrari: Eijciantur, qui occidunt homines vsuris, qui contaminant sanctum matrimonium, qui opprimunt pupillum & viduam. Contemnit omnia Apostolus scribens ad Philippenses, præter eminentem scientiam Iesu Christi, propter quem omnia, inquit, detrimentum feci, & arbitror stercora esse, ut **CHRISTVM** lucrifaciam. Ità etiam, orator ubi vitia acriter reprehenderit, excitans ad rerum humanarum contemptum, interdum dicat, se omnia contemnere, ut animas lucretur Christo, his verbis utens Me miserum, si vos omnes me laudaueritis, si peccata vestra dissimulauero, si mea indulgentia, deteriores euaseritis, laudationes vestras, omnia commoda, omnes honores nihil facio, ut vos Christo lucrifaciam.

N 4

Detesta-